

/ Admodum Illustris, et Reverendissime Domine. Gavisus sum valde acceptis literis Reverendissimae D. Vestrae, datis Julio mense, et aliis mense Novembri anni superioris: nihil enim mihi gratius accidere poterat, quam cognoscere ex testimonio tanti viri innocentiam
5 Patris Roberti Nobilis, quem ego semper dilexi, et diligo, ut filium. Satis enim mihi est, quod nihil egerit inconsultis Superioribus regularibus, et sine auctoritate Archiepiscopi viri optimi, et doctissimi et ejusdem ordinis religiosi, cujus uterque nostrum est. Utrum autem sit aliquid corrigendum in modo tractandi cum gente Brachmana,
// video nondum constare, cum alii aliter sentiant. Audivi, et vidi libentissime P. Nicolaum Procuratorem Sinarum, et saepe cum eo versor; et spero per illum tum hic Romae, tum in Hispania multa bona esse facienda ad gloriam Dei. Ex corde precor Amplitudinem Vestram Reverendissimam mei memorem esse in sanctis precibus suis, quandoquidem
/5 tot vinculis sumus colligati, non solum Religionis, sed etiam Praelaturae. Quamvis enim ego Archiepiscopatum dimiserim, quoniam Summus Pontifex noluit me dimittere, ut ad Ecclesiam meam redirem, et ego non poteram cum bona conscientia non residere; tamen hic Romae, cum licentia Ordinarii, saepe Pontificalia exerceo, praesertim
20 in confirmandis, vel ordinandis fratribus nostris, ut etiam in his festis natalitiis conferam ordines omnes sacros duobus ex nostris venturis ad vos in istas partes. Placeat igitur Deo, ut simul etiam in coelesti patria conjuncti simus, intercedente pro nobis Beatissimo Apostolo Thoma, cujus sacrum corpus Ecclesia ista possidet. Cupio
25 ex me salutari Reverendum Patrem Joannem Mariam Campori, cujus purissimae animae nunquam obliviscar. Datum Romae die 22. Decembr. 1614.

Archiep/s Cranganoren.

La soprascritta : Admodum ill/ri et R/mo Dño, Dño Francisco Archiepiscopo Cranganorensi.